



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Josephus Poeta C. 3. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

218 VITÆ SANCTORUM. 3. April.

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et hora mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. Ex Surio.

Dic mihi, ubi nunc amatores mundi,  
qui ante paucâ tempora nobiscum erant?  
quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes?  
Attende quid sunt, quid fuerunt?  
homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt,  
riserunt & in puncto ad inferna deſcenderunt. Bern. l. Med. c. 2.

S. JOSEPHUS POETA C.

3. Aprilis.

**J**OSEPHUS ævi sui Poëta clarissimus  
Theſſalonicae & Byzantii vitam egit,  
qualem agere Musæ amant, à mundi  
turbis ſemotam. Parnassus ei cella, le-  
ctus terra: cibus panis, potus aqua fuit  
nám hâc, & non mero fluere Hippocre-  
nen noverat. Hic ille ſacrorum vatum  
monumenta lectorare, in vota non vana  
Poëtarum nomina, Sed Numen vocare,  
atque ita demum pleno ore Cælites canere.  
Porrò in D. Bartholomæi laudes itu-  
rus, cùm evocare omnes ex Helicone  
Musas gestiret, meditabundo ipſe Divus  
adefſe, & libro pectori admoto benè  
precari viſus eſt. Non è Parnasso, ſed cæ-  
lo hoc fuit ſomnium. Nam deinceps ver-  
ſus J o s e p h u s non fecit, ſed fudit,

ut

4. April. VITÆ SANCTORUM. 219  
ut qui exciperent, jam olim ad omnes  
ungues examinatos, nunc è memoriam  
tantum promi autumarent. Itaque Im-  
peratoribus etiam gratus, non potuit ta-  
men, quin in exilium secundò pellere-  
tur. Sed quia causam habebat cum Dño  
communem, etiam hīc Poetarum inge-  
niosissimum vicit, locoque ac numeri suo  
semper restitutus, demum immortali  
lauream donandus ad Mecænates suos abi-  
vit Superos. Hos omnes, quos quidem  
versu laudavit, ad exequias Poëtæ sui  
confluxisse, S. Theodorus ab iis ipsis  
rediens cuidam ad tumbam suam sup-  
plici narravit. Tantum refert, scire quos  
laudes. Nunc dum non laudanda in mun-  
do laudant Poëtæ, quod pretium ferunt,  
nisi ut splendide diu mentientibus mun-  
dus splendidius mentiatur, & post mul-  
tas fabulas ultima & longissima fabula  
ipsimet fiant? Ex Menæis.

*Sicut ignis in lignis viridibus suffoca-  
tur, ita sapientia in adolescentiæ tentatio-  
nibus & libidine impedita non explicat  
suum fulgorem, nisi labore, & studio, &  
oratione incentiva juventutis repellantur.  
S. Hier. ad Nep.*

S. JOSEPHUS - HERMANNUS. C.  
4. Aprilis.

HERMANNUS septem anno-  
rum puerulus cœpit inter ultimam  
rerum